Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 2009

Quelle:
Copyright:

tur — et benedicas. *Hic ſignat oblationem et calicem tribus uicibus. non tamen ſub una cruce. ſed ſeparatim ſingulis ſingulas faciens cruces.* Haec dona — famularumque tuarum: illorum et illarum. *Hic nomina uiuorum memorantur ſi uoluerit. ſed non dominica die niſi ceteris diebus.* Et omnium circumſtantium — coſme et damiani. *Si fuerit nat. ſanctorum. hic dicat. ſed et diem natalitii beatorum illorum celebrantes.* Et omnium ſanctorum — muniamur auxilio. per dominum noſtrum. *Hic inclinat ſe uſque ad altare dicens.* Hanc igitur &c. et deinceps, ut Edita, niſi, quod Noſter habeat *diptios* (Hittorp. *dypticbos*) pro aeque mendoſo *depticios*, item poſt *Pax Domini* &c. recte inſerat rubricam: *Deinde dat pacem altari uel patene. et ſic populus dat ſibi pacem;* demum emendatius legit: *non permittit partem ſanctam in calicem. ſicut ceteris ſacerdotibus mos eſt dum confringunt.* quam: *Non mittit partem de Sancta in calicem ſicut ceteris ſacerdotibus mos eſt. Dum confringit* &c. Et paullo infra, ubi Edita legunt: *confirmatur de calice*, Codex quidem a manu prima habet *confirmat*, ſed ſecunda ſubſtituit *communicat.* Ad calcem minio notatur litera quadra: *Hac* (Haec?) *a Cenobio dioniſii venit.* In uſum igitur alterius cujusdam Eccleſiae Απογραφον.

Fol. 3. p. 2. eadem litera: *Incipit Expoſitio Miſſe.* Initium: *Primum in Ordine Miſſe antipbona ad introitum canitur* &c. Commentarius hic in ſingulas Miſſae Partes plurimum *Praefationi* et *Canoni* interpretando immoratur, lectusque videtur ex *Alcuino*, *Amalario*, *Rabano* &c. Sub finem accedit brevis Inſtitutio de *Sacramentis*, et iterum de *Officio* et *Ordine Miſſae*, ita terminata: *Tunc predicatur a diacono licentia eundi peracta miſſa.*

Fol. 12. p. 2. rubro: *In dei nomine pauca ex auditorum uoluminibus excerpta. Incipiunt de catholica eccleſia, et eius miniſtris, et de baptiſmatis officio. iſtud a palatio aquisgrani peruenit.* Placet Τοπικον iſtud, quod utinam plures Codices praeferrent! Ineunt haec Excerpta: *Eccleſia grecum eſt, quod in latinum conuocatio uertitur propterea quod omnes ad ſe uocet.* &c. Rubrica adlata non exhaurit totam Tractationem; nam poſt ea, quae de Baptiſmo traduntur, Expoſitio Partium *Miſſae* ſequitur fuſior ea, quam paullo ante memoravimus, et in haec verba definens: *Et poſt miſſam finitam dicit diaconus ad populum. Ite miſſa eſt. Diaconus grece latine miniſter. Ille enuntiat populo quod finite ſunt preces. quia nullus antea exire debet de eccleſia. quam nuntiatum ſit de miniſtro. et omnes reſpondeant. Amen. uel deo gratias.* Multa ex *Iſidoro Hiſpal. de eccl. Off.* alia item e ſupra citatis Autoribus.

Fol. 21. *Haec et que ſecuntur capitula theotolfus epiſcopus edidit.* Bene diſtinxit Librarius; non

 enim